

Et *contradist.* Minor.; ad cujus probationem, *dist.* Major; si possibilia continerentur in divina essentia secundum formalem ipsarum entitatem, quam in seipsis habent, cum producuntur, et si fierent per emanationem aut evolutionem divinæ substantiæ, *trans.*, si continentur solum virtualiter et eminentiori modo, et si fiant, ut revera fiunt, per creationem de nihilo, *neg.* Et iterum *contradistincta* Minor, *neg.* conseq. Hæc magis patentes, cum actio creativa et modus divinæ creationis declarabuntur

### CAPUT III.

#### DE DIVISIONE ENTIS IN SIMPLEX ET COMPOSITUM, IMMUTABILE ET MUTABILE.

Venimus jam ad ultima entium genera initio hujus disputationis proposita, de quibus multo facilius breviorque erit tractatio.

#### ARTICULUS I.

##### Divisio entis in simplex et compositum.

Quid  
ena simplex,  
quid  
compositum.

245. Simplex dicitur, quod partibus caret, seu quod ex pluribus non constat, nec proinde in plura resolvi potest. E converso compositum est, quod partibus constat, seu quod pluribus coalescit et in ea resolvi potest, compositio enim est unio distinctorum. Compositum, quando nulla re caret earum, quæ ad ejus integritatem pertinent, vocatur *totum*. Disputant quidam auctores, importetne simplicitas perfectionem. Scotus enim (1), quem sequitur Soncinas (2), docet simplicitatem esse perfectionem simpliciter. Cajetanus vero putat simplicitatem per se nec perfectionem sonare nec imperfectionem; «res enim ex eo quod simplex est, non habet perfectionem majorem, sed ex eo quod *taliter simplex*

An simplicitas  
importet  
perfectionem:

(1) 1.<sup>a</sup> dist. 8, quæst. 1 ad 1.<sup>am</sup> et *Quodlib.* 5.

(2) *Metaph.*, lib. 4, quæst. 14.

est, id est, simplicitatem subsistentem habet: unde materia prima est simplicissima, et formæ accidentales sunt simplices, et tamen non sunt perfectiores substantiis compositis. Et ideo cum dicimus substantias simplices esse perfectiores compositis, intelligas non de quibuscumque simplicibus substantiis, sed de subsistentibus in sua simplicitate: quales sunt substantiæ separatæ omnes» (1). Quam doctrinam prius docuisse videtur hisce verbis Angelicus Doctor: *Simplicitas per se non est causa nobilitatis, sed perfectio: unde ubi perfecta bonitas in uno simplici invenitur, simplex est nobilior, quam compositum: quando autem e contrario simplex est imperfectum, compositum vero perfectum, tum compositum est nobilior quam simplex, sicut homo est nobilior terra* (2).

resolvitur.

Disensio ista Doctori Eximio magis videtur esse in verbis, quam in re. «Certum est enim simplicitatem supra rem, quæ simplex dicitur, non addere rem aliquam vel modum positivum, sed dicere tantum negationem compositionis; quia intelligi non potest, qualis sit ille modus positivus, aut quæ sit necessitas fingendi illum. Item quia simplicitas aut est idem, quod unitas quædam perfecta et indivisibilis, aut certe non solum ratione, sed habitudine proportionali distinguuntur, quia unitas multitudini, simplicitas compositioni opponitur. Sicut ergo unitas non addit aliquid positivum rei uni, sed negationem tantum, ita nec simplicitas rei simplici. Nihilominus tamen verum est, per hanc negationem circumscribi, seu indicari perfectionem, tum quia excluditur imperfectio compositionis; tum quia, cæteris paribus, id quod est simplicius, perfectius est, quamvis absolute non quod est simplicius, sit melius; est enim simplicior pars, quam totum, non est tamen perfectior; et similiter accidens sæpe est simplicius, quam substantia, licet sit in inferiori ordine et gradu entis. Sistendo vero intra eundem gradum ac cæteris paribus simplicitas perfectionem indicat» (3). Unde «quamvis vera sit opinio Cajetani, simplicitatem per se non addere rei perfectionem, quia in negatione consistit... tamen

(1) Cajetanus. In opuse. S. Thomæ de *Ente et essentia*, cap. 2, in paragraphum *Substantiarum vero quædam sunt simplices*.

(2) S. Thomæ, 4.<sup>o</sup> dist. 11, quæst. 2, art. 1, solut. 1. ad 1.<sup>am</sup>

(3) Suarez, disp. *Metaph.* 30, sect. 3, n. 3.



dubitari non potest, quin cæteris paribus melius sit habere totam rei perfectionem in simplici entitate, quam ex plurium adunatione. Simplicitas ergo ex se circumscibit modum essendi perfectiorem» (1). Atque hoc pacto interpretanda esse docet Sylvius hæc verba S. Thomæ (2). *In quolibet genere tanto aliquid est nobilius, quanto simplicius* (3).

Compositio  
multiplex:

Compositio multiplex esse potest: unde quod uno modo simplex est, non vetat, quominus sub alia ratione sit compositum. Primo itaque compositio potest esse *substantialis* vel *accidentalis*. Substantialis est illa, quæ coalescit ex partibus substantialibus, ita ut ipsum compositum maneat in genere substantiæ; accidentalis vero illa, ex qua non resultat unum substantiale, ac proinde viget vel inter substantiam et accidens, vel inter duo accidentia, vel etiam, ut videtur, ex pluribus substantiis, quæ non intrinsece coalescunt ad unum simpliciter conficiendum, sed *cœunt* per meram aggregationem (4).

substantialis  
et accidentalis:

substantialis  
quintuplex.

Quintuplex compositio substantialis esse potest, ex esse et essentia, ex natura et supposito, ex materia et forma, quæ essentialis dicitur, ex partibus integrantibus, quæ integralis nomen habet (5), et ex genere et differentia, quo revocatur etiam compositio ex specie ac differentia individuali, et generatim ex gradu entitatis superiori et inferiori: nec videtur excogitari posse substantialis compositio, quæ sub aliqua ex istis speciebus commode collocari nequeat. Compositio dividitur etiam in *realem* et *rationis*: realis est illa, cujus membra componentia re distinguuntur, ut v. g. compositio ex materia et forma; rationis est, ea cujus membra solum ratione distinguuntur, qualis est compositio ex genere et differentia. Utrum compositio ex esse et essentia, et ex natura et supposito sit realis, an vero rationis, acriter controversatur inter Doctores, ut suo loco

Compositio  
realis et rationis:

(1) Suarez, *de Deo*, lib. 1, cap. 4, n. 1. Cfr. Sylvius, *In 1.<sup>am</sup> part.*, quæst. 3, art. 7 vers. fn.

(2) S. Thom., lib. 1.<sup>o</sup> *Contr. Gent.*, c. 18, *Item in quolibet*.

(3) Vide Sylvium, loc. cit.

(4) Cfr. S. Thom., 2.<sup>o</sup> dist. 17, quæst. 13, art. 1.

(5) Hanc alii vocant *quantitativam* compositionem, atque adeo accidentalem, quia coalescit ex partibus quæ quantitate extenduntur, et dici quoque solent *quantitativæ*: de quibus alibi fuse agendum est.

videbimus. Huc quoque revoca compositionem *metaphysicam* et *physicam*: illa enim ex partibus metaphysicis solaque consideratione distinctis, hæc ex physicis seu re distinctis exsurgit. Alii tamen paulo aliter rem declarantes distinguunt compositionem *physicam*, *metaphysicam* et *logicam*. Physicam vocant illam, quæ coalescit ex partibus re distinctis, et sub ea denominatione comprehendunt compositionem ex materia et forma, ex partibus integrantibus, et ex substantia et accidente. Sub nomine metaphysicæ compositionis concludunt illam, quæ ex esse et essentia, et ex natura et substantia efficitur; forte quia de his disserit Metaphysica, nam hoc loquendi modo utuntur etiam quidam eorum, qui hæc re distinguuntur (1). Demum logicam vocant illam quæ resultat ex genere et differentia, quæ spectant ad logicam tractationem.

metaphysica  
et physica,

et logica.

Notanda quoque est pro veterum auctorum intelligentia divisio compositionis in compositionem *ex bis*, et *cum bis*. Compositio *ex bis* dicitur illa, in qua ex componentibus resultat unum quiddam tertium, sicut ex materia et forma resultat corpus, quod nec est materia nec forma, sed tertium aliquid. E converso compositio *cum bis* dicebatur illa, in qua non resultat tertium aliquid.

Compositio ex  
his et cum his

Jam ex notione compositi entis hæc manifestissima axiomata efflorescunt:

1.<sup>um</sup> **Ens compositum nequit esse primum.** Nam omne compositum est posterius suis componentibus et dependens ex eis (2). Præterea *ante multitudinem oportet invenire unitatem. In omni autem composito est multitudo* (3).

Ens  
compositum  
nequit  
esse primum.

2.<sup>um</sup> **Omne compositum causam habet: quæ enim secundum se diversa sunt, non conveniunt in aliquod unum, nisi per aliquam causam adunantem ipsa** (4).

causam habet,

3.<sup>um</sup> **Nullum compositum potest esse actus purus, sed habet admixtam potentiam, seu constat ex actu et**

et admixtam  
potentialitatem;

(1) Cfr. Suarez, disp. *Metaphys.* 13, sect. 1, n. 6.

(2) S. Thom., 1 p., quæst. 3, art. 7. Cfr. 1.<sup>o</sup> *Contr. Gent.*, cap. 18, *Item*.

(3) S. Thom., 1.<sup>o</sup> *Contr. Gent.*, cap. 18, fin.

(4) S. Thom., 1 p., quæst. 3, art. 7. Cfr. 1.<sup>o</sup> *Contr. Gent.*, cap. 18, *Amplius*.



potentia. Et patet inductione diversorum generum compositionis. In compositis enim vel unum eorum, ex quibus est compositio, est in potentia ad alterum, ut materia ad formam, subjectum ad accidens, genus ad differentiam; vel saltem omnes partes sunt in potentia ad totum. Nam partes ad materiam reducuntur (id est se habent in compositione instar materiæ), totum vero ad formam, ut patet in 2.<sup>o</sup> Physicor. (text. comm. 31), et sic nullum compositum potest esse actus purus (1). Unde e converso, actus purus necessario simplicissimus est et incapax omnis compositionis.

est dissolubile,

4.<sup>UM</sup> Omne compositum est potentia dissolubile, quantum est de ratione compositionis, licet in quibusdam possit esse aliquid dissolutioni repugnans (2). Atque adeo ens compositum nequit esse ens simpliciter necessarium in existendo, nec immutabile.

Cæterum hæc axiomata potissimum respiciunt compositionem realem. Quod autem extendenda sint etiam ad compositionem ex genere et differentia negabunt procul dubio illi, qui non verentur hujusmodi compositionem ipsi Deo asserere, quem tamen certe nec esse primum ens, nec in-causatum nec necessarium, nec immutabile, nec actum purum negare possunt.—Ex his porro sequitur

nec potest esse perfectissimum omnium.

5.<sup>UM</sup> Ens compositum non potest esse perfectissimum, neque essentialiter infinitum; quandoquidem necesse est, ut careat multis perfectionibus.

## ARTICULUS II.

## De divisione entis in mutabile et immutabile.

Quid ens mutabile; quid immutabile; quid mutatio;

246. Ens mutabile dicitur id, quod mutationi obnoxium est, immutabile vero, quod non est obnoxium mutationi. At quid est mutatio? Est transitus entis ab uno statu in alium, vel ab uno modo se habendi in alium, deserendo nempe unum et assumendo alium. De ratione mutationis est, inquit

(1) S. Thom., *De Potent.*, quaest. 7, art. 1. Cfr. 1 p., quaest. 3, art. 7; 1.<sup>a</sup> *Contr. Gent.*, cap. 18, initio...

(2) S. Thom., 1.<sup>a</sup> *Contr. Gent.*, cap. 18, *Adhuc*.....

Angelicus, quod aliquid idem se habeat aliter nunc et prius (1). Unde in qualibet mutatione requiritur, quod sit aliquid idem commune utrique mutationis termino. Si enim termini mutationis oppositi in nullo eodem convenirent, non posset vocari transitus ex uno in alterum (2). Quapropter quatuor distinguenda veniunt in omni veri nominis mutatione, terminus a quo, terminus ad quem fit transitus, subjectum transiens ab uno in alium, seu id quod subest mutationi, et formalis ipse transitus, seu ipsum mutari. Ita lignum quod ex viridi fit siccum et emortuum, mutatur, quia aliter se habet nunc ac prius, et a viriditate tamquam termino a quo transit ad siccitatem tamquam ad terminum ad quem. Quod si idem aliquod subjectum reale non sit vices utriusque termini subiens, veri nominis mutatio esse non poterit, quia non erit unum, quod a primo ad alterum terminum transeat. Et propterea docet communis Doctorum sententia cum S. Thoma (3) creationem mutationem non esse; quia cum ante creationem res non sit, sed per ipsam esse in rerum natura incipiat, non adest subjectum unum, quod prius realem essendi modum habuerit, et illo amisso novum acquiserit. Sed quia id quod creatur, etiam ante creationem intelligibile est, utpote possibile; intelligitur prius non fuisse totaliter ac deinde esse, et sic illa novitæ essendi, quam importat creatio, concipitur a nobis instar cujusdam mutationis, licet vera mutatio non sit, sed tantum penes modum intelligendi, quemadmodum monet Aquinas (4). Simili modo etiam patet ad veri nominis mutationem requiri prorsus, ut res intrinsece et in seipsa aliter se habeat. Quis enimvero credat me vere mutari ex eo solum, quod vir, qui ad dexteram meam sedebat, transeat ad lævam?

ejusque elementa.

Terminus, sive a quo sive ad quem, duplex esse potest, totalis et formalis. Totalis est totum id, a quo vel ad quod

Mutationis terminus totalis et formalis

(1) S. Thom., 1 p., quaest. 45, art. 2 ad 2.<sup>um</sup> Cfr. *de Potent.*, quaest. 3, art. 2.

(2) S. Thom., *de Potent.*, quaest. 3, art. 2. Cfr. lib. 2.<sup>a</sup> *Contr. Gent.*, c. 17, *Præterea*.

(3) S. Thom., *de Potent.*, quaest. 3, art. 2; lib. 2.<sup>a</sup> *Contr. Gent.*, cap. 17.

(4) 1 p., quaest. 45, art. 2 ad 2.<sup>um</sup>



fit transitus, in quantum includit subjectum simul cum modo essendi *a quo*, vel idem subjectum cum modo essendi, *ad quem* fit transitus, ut in exemplo adducto lignum viride est terminus totalis *a quo*, et lignum siccum terminus totalis *ad quem*. Formalis vero est illud præcisè, quod a subjecto deseritur vel acquiritur in sua mutatione: sic viriditas est formalis terminus *a quo* et siccitas *ad quem*. Quære perspicitur, quomodo in mutatione idem subjectum subsit vicissim duobus terminis formalibus ita sibi invicem oppositis, ut nec terminus *a quo* possit remanere in termino *ad quem*, nec terminus *ad quem* esse in termino *a quo*, secus enim non daretur transitus ab uno in alium (1).

Quomodo  
habetur mutatio  
respectu  
actionis et  
passionis.

Quod vero attinet ad ipsum transitum ab uno termino ad alium, si consideretur causaliter vel vialiter, seu in ordine ad mutantem, est *actio* agentis extrinseci subjectum ab uno in alium statum transferentis, quæ proinde prout recipitur in subjecto est id, vi cuius subjectum formaliter diversum modum essendi accipit, ac dicitur *passio*.

Denique relate ad id, quod denominationem accipit mutationis, nota ex S. Thoma, quod *aliquid dicitur mutari dupliciter: uno modo quia est subjectum mutationis, sicut corpus dicimus esse mutabile... alio modo dicitur aliquid mutari, quia secundum ipsum fit mutatio, sicut dicimus albedinem mutari, quia secundum ipsam corpus alteratur* (2).

Mutatio  
multiplex:  
intrinsicca  
et extrinsecca;

Mutationis variæ distinguuntur genera. Et primo quidem dividi solet in *intrinsicam* et *extrinsicam*, *realem* et *rationis*, quæ tamen potius sunt divisiones nominales mutationis, quam reales, nam mutatio extrinseca et rationis re vera non sunt species mutationis hactenus declaratae, cum non sint veri nominis mutationes. Extrinseca enim mutatio, ut jam innuimus, est illa, per quam res quidem, quæ mutari dicitur, in seipsa eodem modo pergit esse, sed alia res mutatur respectu ipsius. Sic ego pure extrinsece mutor ex eo quod aliquis me videat, quia solum denominationem novam accipere incipio, quæ nihil intrinsicum ponit in me; visio enim qua

(1) Vide S. Thom. 1.<sup>o</sup> dist. 37, quæst. 4, art. 3; de *Potent.* quæst. 3, art. 1 ad 15.<sup>um</sup>; *Quodlib.* 9, art. 9; lib. 5.<sup>o</sup> *Physicor.*, lect. 2.

(2) S. Thom., de *Verit.*, quæst. 1, art. 6.

videor, non est in me, sed in *vidente*, illumque vere mutat ex non habente actum videndi in habentem, mihi autem solam tribuit denominationem *visi* pure extrinsecam. Mutatio etiam rationis est ea, quæ tantum significatur vel apprehenditur instar mutationis, quin tamen sit re vera mutatio, propterea quod desit transitus a reali in realem statum; ut accidit in creatione et in annihilatione, nam in illa ante ipsum actum res, quæ incipit esse, prius totaliter non fuit, et post annihilationem res, quæ desinit esse, jam totaliter non est.

Mutatio dividitur etiam in mutationem *per se* et *per accidens* et *in partem*, quas sit describit S. Thomas ex Aristotele: *Uno modo dicitur aliquid transmutari per accidens, sicut cum dicimus musicum ambulare, quoniam hic homo ambulat, cui accidit esse musicum. Alio modo dicitur aliquid transmutari simpliciter, quia aliqua pars ejus mutatur... dicitur enim sanari corpus animalis, quia sanatur vel oculus vel pectus, quæ sunt partes totius corporis. Tertio modo dicitur aliquid moveri, quod neque secundum accidens movetur, neque secundum partem, sed ex eo quod ipsum movetur primo et per se: ut per hoc quod dicit (Aristoteles) primo excludatur motus secundum partem; per id quod dicitur secundum se, excluditur motus per accidens* (1). Exemplum potest esse in augmentatione viventium.

per se et per  
accidens;

Alia est mutationis divisio in *instantaneam* et *successivam*. Illa est, quæ tota est simul, unde in ipsa eodem tempore sunt *feri* et *factum esse*, quia nempe simul ac incipit fieri mutatio, jam perfecta est: quare in hujusmodi mutatione subjectum in eodem momento recedit totaliter a termino formali *a quo*, et accedit *ad quem*. Hoc pacto actus intellectionis vel volitionis mutatio instantanea est, quia momento peragitur, et simul ac incipit, terminata est. Successiva est illa, quæ non tota simul est, seu in qua recessus totalis a termino *a quo* et accessus totalis ad terminum *ad quem* non peragitur uno momento, sed successive, ita ut prout res magis ac magis recedit a termino *a quo*, magis ac magis accedat ad terminum *ad quem*. Hoc pacto motus localis ab una in aliam urbem fit transeundo per medium intervallum

instantanea  
et successiva;

(1) S. Thom., 5.<sup>o</sup> *Physicor.*, lect. 1.



successive, et calefactio etiam aquæ fit per gradus. Mutatio proinde instantanea immediata est, versaturque inter terminos medium non habentes, atque adeo successionem excludit. At mutatio successiva mediata est, quia versatur inter terminos medium habentes, et propterea etiam successionem habet, cum dari nequeat transitus ab extremo ad extremum, nisi gradatim.

substantialis  
et accidentalis.

Alia est divisio mutationis in *substantialem* et *accidentialem*. Substantialis est illa, cujus terminus *ad quem* substantialis est, et vocatur mutatio simpliciter; accidentalis autem, cujus terminus *ad quem* est accidentalis et vocatur mutatio secundum quid. Discrimen inter utrumque hoc est, quod in accidentali subjectum est integra substantia, ut cum paries ex albo fit niger; sed in substantiali solum pars illa substantiæ, quæ prius aderat, et adhuc permanet peracta mutatione, subjectum ejusdem est. Sic cum lignum ignescit et in carbonem vel cineres convertitur, subjectum mutationis non est revera lignum, quia lignum jam non remanet post conversionem in carbonem vel cineres, sed aliquid aliud, quod prius ante mutationem cum formali termino a quo combustionis constituerebat lignum, et nunc mutatione peracta, cum termino *ad quem* ejusdem combustionis efficit carbonem vel cineres, nempe *materia prima*.

Generatio,

Celebris est etiam divisio illa mutationis in *generationem*, *corruptionem*, *conversionem*, ac *motum physicum* stricte sumptum (1). Generatio est mutatio a termino negativo ad positivum, seu a *non esse* ad *esse*, ut cum ex non planta fit planta, vel ex non albo fit album, nam generatio, sicut etiam corruptio, potest esse sive substantialis sive accidentalis, nempe generatio simpliciter vel secundum quid. Corruptio autem est mutatio a termino positivo ad negativum seu ab *esse* ad *non esse*, ut cum ex planta fit non planta, vel ex albo non album. Denique motus physicus strictissime sumptus, ad mentem Aristotelis (2) et S. Thomæ (3) aliorumque Scholasticorum communissime, est mutatio ab uno termino positivo

(1) Cfr. Mauri, *Question. philosoph.*, libr. 3, quæst. 11.

(2) Vide lib. 5 *Physicor.*, cap. 1.

(3) S. Thom., in lib. 5.<sup>um</sup> *Physicor.*, lect. 2; de *Verit.*, quæst. 28, art. 1.

in alium positivum, seu ab uno *esse* in aliud *esse*, ut cum aliquid e dulci fit amarum, ex albo rubrum etc. Differentia est, inquit S. Thomas, *inter motum et mutationem; nam motus unus est, quo aliquid affirmative significatum obicitur, et aliud affirmative significatum acquiritur, est enim motus de subjecto in subjectum, ut dicitur in 5.<sup>o</sup> Physicor.* (text. Comm. 7): *per subjectum intelligitur hoc aliquid affirmative monstratum, ut album et nigrum. Unde unus motus alterationis est, quo album obicitur, et nigrum acquiritur. Sed in mutationibus, quæ sunt generatio et corruptio, aliter est; nam generatio est mutatio de non subjecto in subjectum, ut de non albo in album; corruptio vero est mutatio de subjecto in non subjectum, ut de albo in non album. Et ideo in abiectione unius affirmati et ademptione alterius oportet duas mutationes intelligi, quarum una sit generatio et alia corruptio, vel simpliciter vel secundum quid. Sic ergo si in transitu, qui est de albedine in nigredinem, consideretur ille motus, idem motus figuratur per albedinem unius et inductionem alterius; non autem significatur eadem mutatio, sed diversa, tamen se invicem concomitantes, quia generatio unius non est sine corruptione alterius (1).*

Huc revoca conversionem, quæ defini solet transitus unius rei in aliam, v. g. ligni in ignem, alimenti in substantiam aliti, aquæ in vinum. Versatur itaque inter utrumque terminum, a quo et *ad quem*, positivum: in quo differt a generatione. Conversio potest esse sive accidentalis sive substantialis, prout fuerit accidens vel substantia primarius ejus terminus *ad quem* (2); secus ac motus physicus stricte dictus, qui ex mente Aristotelis non videtur dicendus esse de mutationibus substantialibus a termino positivo ad positivum, ut apparet ex speciebus motus a Philosopho ejusque interpretibus assignatis (3). In conversionibus, quarum dedimus exempla,

conversio,

(1) S. Thom., de *Verit.*, quæst. 28, art. 1. Vide etiam lib. 5 *Physicor.*, lect. 2 ubi fuse. Cfr. Joan. a S. Thom., *Curs. philos.*, 2 pars quæst. 19, art. 1.

(2) Cfr. Suarez, de *Eucharist.*, disp. 50, sect. 2, n. 2; Lossada, de *Gener. et Corrupt.*, disp. 1, cap. 1, n. 3.

(3) Vide Aristot. et S. Thom., lib. 5 *Physicor.*, lect. 3 et 4; et præcos Philosophiæ cursus.



allisque innumeris substantialibus, unum non ita convertitur in aliud, ut pereat quoad totam suam substantiam, remanet enim materia prima; verum, docente Fide ac Theologia, datur conversio, in qua præcedens substantia tota penitus ita destruitur, ut nihil de illa supersit; hujusmodi conversio vocatur proprio nomine *transsubstantiatio*, et locum habet in sacrosancta Eucharistia, quæ proinde est vera conversio totalis, non sicut aliæ conversiones quæ licet etiam vocari soleant totales, propterea quod mutata forma substantiali, res dicitur simpliciter alia, nihilominus non sunt vera nisi partialia, quia non tota rei substantia totaliter convertitur, ideoque solum sunt conversiones denominative totales. Sed de his alibi fusius.

Neque vero in hac trimembri mutationis divisione addenda est quarta species, illa nimirum, quæ aliquid a non subjecto in non subjectum, seu a negativo ad negativum terminum mutaretur. Nulla enim fit mutatio a termino negativo ad negativum, nisi per accidens, nimirum ratione positivi alicujus termini, qui amittitur aut acquiritur. Ut si fiat mutatio a non nigro in non album ex eo, quod aliquid ex alio in nigrum convertatur. Etenim *omnis mutatio* est inter opposita: duæ autem negationes non sunt oppositæ (1).

Jam si tres hæc mutationis species invicem comparaveris, reperies profecto generationem et corruptionem versari inter extrema contradictorie opposita, qualia sunt esse et non esse; motum vero inter contraria et media, ut patet inductione.

247. Ex conceptu mutationis sponte sequuntur hæc axiomata:

I.<sup>us</sup> **Omne... quod quocumque modo mutatur, est aliquo modo in potentia (2),** seu potentialitatem importat.

(1) S. Thom., lib. 5 *Physicor.*, lect. 2, paragr. c. Verum est hoc pacto fieri posse per accidens innumeras mutationes ex termino negativo ad negativum: et præcise propterea quod sunt infinitæ, nam possunt fieri ad quoscumque terminos, et in quibuscumque subjectis, et a quibuscumque moventibus, et quocumque tempore, cadere nequeunt sub scientiam, utpote quæ non debet objecta adeo indeterminata contemplari. Vide Aristot. et S. Thom., lib. 5 *Physicor.*, lect. 1, paragr. l.

(2) S. Thom., 1 p., quæst. 9, art. 1. Cfr. 1.<sup>us</sup> Dist. 8, quæst. 3, art. 1, 2.

transsubstantiatio.

Quidquid mutatur, habet potentialitatem.

Et ratio est, quia nihil transire potest ad habendum id, quod non habebat, nisi sit in potentia passiva ad illud; itemque quod amittit id, quod habebat, cum illo compositionem faciebat, atque adeo potentialitatem includit.

II.<sup>us</sup> **Omne quod movetur, quantum ad aliquid manet, et quantum ad aliquid transit; sicut quod movetur de albedine in nigredinem, manet secundum substantiam (1).** Ratio patet ex dictis.

III.<sup>us</sup> **Omne quod movetur, motu suo aliquid acquirit, et pertingit ad illud, ad quod prius non pertingebat (2).**

IV.<sup>us</sup> **Omne quod mutatur, compositum est (3).** Unde ens immutabile est actus purus, et solus actus purus est immutabilis. Id tamen, quod mutatur non est proprie ipsum compositum, sed subjectum, hoc enim est quod mutationi subternitur, successive subeundo diversos status, et ab uno in alium terminum transeundo, compositum autem vel concretum ex subjecto et forma vel privatione, secundum quas mutatio locum habet, non dicitur mutari nisi denominative a subjecto.

Quidquid mutatur, partim manet, partim perit.

et aliquid acquirit.

Quidquid mutatur, compositum est.

## DISPUTATIO QUARTA.

### DE ENTE FINITO GENERATIM.

248. Exposita entis ratione ac generalissimis divisionibus, ordo tractationis postularet, ut naturam entis infiniti et finiti singillatim enucleatius tractaremus. Verum quoniam de infinito et increato ente integer liber conficiendus est post absolutam *naturalis Philosophiæ* tractationem, de solo ente finito et creato hic agemus. De quo id in primis notandum est, quod satis colligitur ex dictis, et ex alibi dicendis amplius patebit, ens creatum nempe essentialiter

Ess creatum essentialiter ab increato dependens in essendo.

(1) S. Thom., 1 p., quæst. 9, art. 1.

(2) S. Thom., 1 p., quæst. 9, art. 1.

(3) S. Thom., 1 p., quæst. 9, art. 1.